

III. Usus amplificationis.

Usus amplificationis est scire, quomodo finis possit servire themati augendo vel minuendo, extollendo aut deprimendo.

Hâc de re est canon:

Finis amplificatur ἀντίθει, συγκρίσει, συναθροισμῶ, γνωμολογία, hoc est, oppositione, collatione, conglobatione, & autoritate.

I. *Oppositione*; quâ fines contrarii inter se opponuntur: ut, non ad hanc an. nalem, sed ad illam verè vitalem vitam condidit nos Deus; non ut abdomen, sed ut salutem animæ curaremus. *Item*: Quid putas, ô homo? Num Deus te condidit propter ventrem, ut ad instar bruti abjectus esses & pronus ad pastum? Num fortè ut divitias corraderes? Num ut inani speculatione animum oblectares eâque tempus transmitteres? Ah falleris, & nimis quàm falleris, si ita tibi persuades! Propter gloriam suam condidit te Deus; tam præcellentem creaturam te condidit propter gloriam suam.

II. *Collatione*; quâ fines pares, impares, similes vel dissimiles inter sese conferuntur: ut, Gloria Dei est id unum quod quæro in studiis meis. Gloria, inquam, Dei Patris, qui me creavit; Filii, qui me redemit; Spiritus sancti, qui me sanctificat. Sed dum huc omnes meas actiones dirigo, ecce ante oculos obversatur proximus, cujus salutem ut me & mea consecrem, suadet prima illa, quam modò dixi, quamque omnes sapientes sibi præstituunt, meta. Nimirum simillimi mihi videntur, qui Dei gloriam se quærere gloriantur, dum proximi nullam rationem habent, omnibus illis, qui conjugium arctissimum vocant, in quo nulla est animorum consensus. *Item*: In studiis cunctisque actionibus nostris hoc unicè spectemus, ut benè sit corpori, neque solùm corpori, sed etiam animæ: idque non solùm in hâc vitâ, sed etiam, & id quidem præcipuè in alterâ, quæ post hanc æterna erit. At hæc omnia velimus propter Dei gloriam: propter gloriam dico misericordiæ, justitiæ, sapientiæ & omnipotentiae Dei, qui unus est beatus in secula.

III. *Conglobatione*; quâ varii fines inter se copulantur: ut, Dum